

1373

D O G M A T I C I

1374

manicam numero plurali *die Weitzen*, quam etiamnum a plebe Austriae superioris pro Spirituum apparitione significanda usurpari audias. Articulo *Symboli IX.* proluxa de VII. *Sacramentis* tractatio inserta est. Ultima Codicis nostri verba sunt: *Darumb ist der Hilfe.* An Autor noster *Ulricus* ille *de Patavia*, artium Mag. Theologiae Baccal. et Canonicus *Vienn.* fuerit, qui 1405 et 1409. Decanatu philosophico, 1415. vero Reſtoratu Univerſit. functus est, aſſerere non audeamus.

CCCLV.

820 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 112. 8. Congeries est Locorum Historiae sacrae Vet. et N. Testamenti adsumptorum ad firmandas et illustrandas Fidei veritates in certa Capita tributas, quorum hic Syllabus praefixus est: De Deo f. 1. De Lucifero f. 3. De Maledictione Adami f. 5. De Morte f. 7. De Prophetiis de Christo f. 9. De Resurrectione f. 11. De Antichristo f. 14. De Signis ante diem Iudicii f. 17. De extremo Iudicio f. 20. et 22. De Purgatorio f. 28. De Inferno f. 30. De Poenis f. 32. De Coelo f. 34. De Beatis f. 40. De Castigationibus in hac vita f. 43. De sacris Remediis Morborum f. 47. De Vita humana f. 51. De Miraculis f. 59. usque ad finem. Titulus vernaculus est: *Etliche gewisse Tractätlein von Gott der*

*Ewigkeit &c. Alles mit vleys zusammen gezogen Aufs der Heiligen Schrift der Bibel vnnnd bewürten Scribenten der katholischen kirchen.* Initium vero: *Gott ist Immer Vnd Ewig vor der Weltdt Anfang. &c.* Fabulis non satis abstinet Compiler; ita f. 57. habes Comitem illam *Hennebergicam* uno partu CCCLXIV. proles effundentem.

CCCLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 225 XV. Folior. 200. f. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus complectitur sequentia: I. *Johannis Marienwerder Prof. Pragensis Expositionem Symboli Apostolorum*, quam praecedit Tabula alphabetica hoc initio: *Pro tabula expositionis symboli apostolorum est sciendum &c.* Sequitur Prologus: *Venite ambulemus in lumine dei nostri &c.* Demum *Symbolum* articulatum et prolixè declaratur. Autor eam opinionem, quae multum olim vixit, sequitur: a singulis Apostolis singulos Articulos collatos fuisse, cetera catholicus est, atque ubi de *Eucharistia* tractat, nihil de necessitate duplicis Speciei adstruit. Ad calcem legitur: *Explicit exposicio symboli magistri iohannis Marienwerder venerabilis doctoris studij pragen. Vtrum hunc e Prussia, ut videtur, oriundum in Balbini Bob. docta non reperi.*

II. fol. 85. Incipit tractatus Magistri hainrici De *hassia de contractibus.*

L 3